

1
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
9.



1729.

1. Alberti, Michael: De factu mortuo.
2. Alberti, Michael: De mictu cruento.
3. Alberti, Michael: De torturae subjectis.
4. Alberti, Michael: De medicina strategemata.
5. Alberti, Michael: De partu serotino.
6. Alberti, Michael: De exerescentia nasi cum haemorrhoidum anomaliis commixa.
7. Alberti, Michael: De militum valetudine tuenda.
- 8^o Boehmerus, Jo. Sam. Fridericus: De eo, quod iustum est circa torturam valetudinariosum 2 Sept. 1729 et 1740.
- 9^o Boehmerus, Just. Henricus: De jure militum ecclesiasticorum.
- 9^b Boehmerus, Just. Henricus: De jure militum ecclesiasticorum.
~~...~~ Praemissa est praefatio ... Boehmeri
de jure ~~eccl~~ ecclesiasticorum militum.

10. Callenberg, Fr. Henric: *Furis circa christianos
munkammerei particularae* . . .
11. Coschütz, Georg Danil: *De diarrhoea biliosa.*
12. Coschütz, Georg Danil: *De diarrhoea serosa.*
13. Gasserus, Simon Petrus, *Ord. jur. consult.* . . . *Decanus:*
*lectori benemerito s. p. d. (ad disputationem Facultatis
Benedicti Winckleri invitat.)*
14. Gasser, Simon Petrus: *De ejusdem ejeratione*
15. Gasser, Simon Petrus: *De gemino colore professorii
ex solo jure in re.*
16. Gasser, Simon Petrus: *De praerogativa dierum et
mensium in servolventis hereditatibus.*
- 17^a Gasser, Simon Petrus: *De inquisitione contra sus-
dum et mutuum naturae.* 2 *Exempl.* 1729 et 1737
18. Gasser, Simon Petrus: *Commentationes quas dicitur ^{legum} et ^{consul.}
de vicariis . . . publicae veritatis exhibitae*

- 19^a Gundlingus, Nic. Hieronymus: De renunciatione heredita-
tium fratrum illustrium.
- 19^b Gundlingus, Nic. Hieronymus: De renunciatione heredi-
tatum fratrum illustrium.
20. Hoffmannus, Fridericus: De diæta virginum.
21. Hoffmannus, Fridericus: De febre erysipelacea.
22. Hoffmannus, Fridericus: De vomitu cruento.
23. Hoffmannus, Fridericus: De cataracta.
24. Hoffmannus, Fridericus: De noxiis ex remediis dome-
sticis iniquè applicatis.
25. Hoffmannus, Fridericus: De fonte medicato Lipicensi.
26. Hoffmannus, Fridericus: De læsionibus externis, abor-
tibus venenis ac phlithis.
27. Heberdel, Nicol. Frider: De usurpatione patris in pecuniis
liberorum a dantibus mortuis liberis factis, Cæsares
suis ætibus regum ac philasophicis . . . studiorum
jurisprudentiæ . . . commentat.

28. Hoheisel, Daniel Frider : Fundamenta compensationum
a priori demonstrata sistit et lectiones suas hinc
les Ann juridicos, tum philosophicos studiorum
juventuti . . . notas facit.
- 29^{a. b.} Luderig, Jan. Petr. de : De principum S. R. I.
= potestate in sacris ante pacem religionis.
2 Junil. 1729 et 1738.
30. Michaelis, Christian Bened : De nominibus propriis
sacris.
31. Neubaier, Emanuel Fridericus : De phresis novi facti
sacra : caro et sanguis.
32. Neuenberg, Dr. Georg : Factum seminumum majoris
partis chirographorum in concursu creditum
non esse . . . in disquisitione publica ponit.

78. 1729 6a 38.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
**EXCRESCENTIA
NASI
CUM HÆMORRHOIDUM ANO-
MALIIS CONNEXA,**

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſe Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Æ S I D E
DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD.
NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, etc.
DN. DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni bonoris cultu proſequendo,

PRO LICENTIA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS
ANNO MDCCXXXIX. D. AUGUST.
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI
SUBJICIET

RESPONDENS
JOHANNES CONRADUS SCHIERWASSER,
MAGDEBURGICUS.

HALÆ MAGDEB. TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

EXERCENTIA
IN ASI
CUM HAEMORRHOIDUM ANO
MALIS CONNEXA.

AUSPICE DEO PROPTIO

Et Confessione carae Augustinensis Curiae Facultatis Medicarum
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E

DN. D. MICHAELI ALBERTI
SACR. MAJ. REG. BORUS. AULICO ET CONSIST. MAGDAB. CON-
SILIAKO, MED. ET PHIL. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD.
NAT. CUR. COLL. SOCIET. REG. BORUS. SCIENT. SODALI, etc.

DN. DECANO h. SPECTATISSIMO,

Domino Romano Praefecto h. Universitatis Augustinensis Professori

PRO LICENTIA

SUMMISSE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETANDIS

HOJIS LOCORE CONSTITIT

ANNO MDCCXXII. d. 17. AUGUST.

PUBLICAE AC FLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI

SUBJACET


RESPONDENS


IOHANNES CONRADUS SCHIERWASSER,

MAGISTER

HABE MAGDAB. THEO. JOH. CHRISTIAN. HENDRIK. AUL. THEOP.









PRÆLOQUIUM.



Quando fonticorum quorundam affectuum, sive ad Medicinam Clinicam, sive Chirurgiam spectantium, origines inquirimus, tunc tales interdum detegimus & invenimus, quæ cum illis morbis nihil plane commercii habere videntur; quare haud semper veræ & genuinæ causæ agnoscuntur, sed aliæ, quæ in intricatis affectibus quasi per conjecturam & manifestam incertitudinem accusari vulgo solent, quæ tamen ad præsentem causam interdum haud quadrant, velut acrimonia sanguinis, scorbutica intemperies, obstructio minimorum vasculorum, decubitus catarhalis &c. nam singularis morbi species & indoles occæcat quandoque observatores, ut vix sibi persuadere velint, quod ab ejusmodi causa tales morbi ortum ducere possint: etenim nonnunquam eminens

diversitas loci occurrit, quando v. g. sudores pedum suppressi, ventriculi, pectoris & capitis affectus causantur, quando pedum œdemata retrocedentia, catarrhos suffocativos, apoplexiam &c. provocant; quandoque differentia causæ & effectus scrupulum injicit, quo minus utriusque consensum aliqui admittere malint; hinc causa sic dicta frigida & serosa non facile conjuncta adseritur cum effectu, sanguinis motum & statum concernente & vice versa, v. g. quando a suppressis feri evacuationibus, Hæmorrhagiæ, inflammationes &c. aut a suppressis Hæmorrhagiis œdemata, catarrhosæ fluxiones, cachexia, hydrops &c. originem trahunt: ita aliquando offensam parit ipsius morbi conditio, quando singulares corporis externi descædationes, aut tumores, concrementa, efflorescentiæ, ulcera, aliæque species corruptionum a certis salutaribus evacuationibus turbatis oriuntur: hæc observatio sicut admodum ampla & crebra est, ita hoc loco tantum nonnullorum singularium affectuum ex *Hæmorrhagarum* negotio provenientium memoriam injicere luber: quod ex *Narium Hæmorrhagiis*, præcipue turbatis, Polypus narium, ozæna, tubercula faciei, pustulæ faciei, vari, gutta rosacea, visus debilitatio, catarracta, apoplexia, deliria & uti *Hæchstertus decad. 2. cas. 9.* observavit, fuggillationes in corpore &c. &c. proveniant, passim ab authoribus recensentur: ita *Hæmoprysin ex ulcere pedis sanato* commemorat *Rhodius Cent. 2. obs. 35.* quod Polypus cordis ex prægressa Hæmoprysi proventum suum capessat, attenti observatores facile agnoscunt & testantur: quid de

de Mensium fluxu proferre liceat, varia confirmant testimonio, ex quibus tantum pro meliori præsentis meditationis illustratione nonnulla allegare placet: sic Gockelius *Cent. 2. conf. 67. Cariem & exesionem Cranii a suppressione Mensium* deducit & commemorat: Riedlinus *Cur. med. 96. Varices Mensium instantium indices & curat. 421. tumorem totius fluxum Mensium antecedentem recenset; Horstius observ. singul. Part. 2. Lib. 1. p. 76. de Mensibus diminutis cutis feditatem inferentibus* historiam affert: *A. N. C. Dec. 1. an. 3. obs. 62. allegant scabiem Menstruam a Mensibus retentis, ut & Dec. 2. an. 5. app. p. 11. Scabiem mammarum ex Mensium retentione: Verrucas ex Mensibus retentis Salmuthus Cent. 5. obs. 27. describit: Sculterus obs. 46. profert Casum de Cancro mammae ex suppressis Mensibus, Acta Berolinensia dec. 1. Vol. 5. p. 48. enarrant casum de facie ulcerosa facie e Mensium emanatione & de Carie tibie ex imminuto Mensium fluxu p. 37. Similes peculiare affectus, cum Mensibus connexos, proferunt Breslavische Geschichte 25. Vers. p. 319. de Menstruo apostemate dextri pollicis ex Mensium cessatione: de annua exulceratione pedum ex præmatura Mensium cessatione: diversa hæc sunt affectuum singularium & externorum, subinde ad forum chirurgicum ex parte pertinentium, qui cum Mensibus connectunt specimina; nam de aliis & magis communibus atq; cognitis haud æque nobis sermo est: quomodo etiam Hæmorrhagiæ inter se consentiant, abunde cognitum est, in qua observationem illam hac occasione tantum attingimus consensionem, quomodo *Narium Hæmorrhagiæ* etiam ex *Hæmorrhoidibus subsistentibus* originem ducant, quales casus*

sus allegantur a *Frommanno tr. de Hemorrhoid. Part. Priori Probl. X. p. 51. conf. Galenus in method. med. Lib. 1. c. 20. de Hemorrhoidibus suppress. vid. Galenus lib. 6. de V. S. adv. Eras. Amar. Lusit. Cent. 2. cur. 13. Cent. 5. cur. 3.* tales observationes aliquo modo illustrantur *Tboneri* observatione, certo modo parallela, quando hic author *Lib. 5. obs. 4. p. 228.* dicit: *ita sanguine per penem promanante, eo constricto, hæmorrhagiarum narium concitavit natura:* Et quando seorsim processum *Hæmorrhoidalem* inquiremus, tunc cum motu & fluxu tali ejusmodi interdum affectus consentiunt, qui ob differentiam sedis, loci, regionis, formæ & consecutionis nihil plane commercii cum *Hæmorrhoidibus* habere videntur, id quod multis documentis & demonstrationibus practicis confirmavit & illustravit *D. D. Præses in tr. de Hemorrhoidibus:* Quantum vero utilitatis afferat rationali Medicinæ cognitio veræ causæ & originis morborum, facile peritis viris innotescit: Cognitio itaque verarum causarum in morborum indagine, faciliat artem medicam & desiderium ægrotantium, ut secundum *Celsi* monitum *ille bene curer, qui bene morborum causas agnoscit:* Præsens consideratio nexus *Hæmorrhoidum* cum variis intricatis & ut primo intuitu videntur, absconditis morbofis afflictionibus consequentibus tam in Medicina Clinica, quam Chirurgica haud exiguam aut superficiariam promittit utilitatem, quam ob rem Inaugurali hoc Specimine thema quoddam mixtum *Medico-Chirurgicum* selegimus, quo in peculiari & notatu digno Casu **EXCRESCENTIAM NASI CUM HÆMORRHOIDUM**

DUM ANOMALIIS CONNEXAM proponere & explicare annitemur, cui instituto ut Divina clementia almo suo auxilio & moderamine annuat, est quod in limine presentis tractationis humillime vovemus & precamur.

§. I.

Quod *Hæmorrhoides* sub certa qualitate & speciali conditione a variis morboſis afflictionibus, eternum etiam corpus invadentibus, præſervent, aut illas sub alio respectu provocent, observatio est, quæ attentis & judicioſis Medicis incognita eſſe haud poteſt; quam ob rem illi, qui aliquo modo reſtrictam & reſpectivam hæmorrhoidalis fluxus ſalubritatem admittunt, celebre illud Hippocratis testimoni- um allegant, quo in *Lib. 6. Epid. Sect. 3. text. 64.* adſerit: qui *Hæmorrhoides* habent, neque pleuride, neque peripneumonia, neque phagedæna, neque furunculis, neque tuberculis thebeinthe figuram habentibus corripuntur; fortassis autem neque lepris, fortassis neque viriliginibus: multi tamen inſeſtivate curati, talibus non tarde correpti ſunt; quo etiam Avicennæ effatum ſpectat, quando *Lib. 3. fen. 17. tr. 1. c. 3.* eloquitur: & ſciās, quod in ſanguine, qui currit ab *Hæmorrhoidibus* & ex ano eſt ſecuritas ab herpere eſthiome- no & mania & melancholia & epileſia melancholica & eryſi- pela & ab illis, quæ ſunt, ſicut milium & Cancro & excoria- tione & ſcabiæ & glabrie & lepra & pleuriſi & peripneumo- nia & phreniſi &c. Quid porro *Hæmorrhoidum turba* ad varios alior affectus, externam regionem occupantes & sub-

subinde *chirurgicam* opem expectantes, contribuant, *diversis* testimoniis probari posset, hinc *Felix Wurtzius* in sua *Chirurgia* annotavit, quod *Hæmorrhoidum suppressio vulnera quædam externa reddiderit incurabilia*, *conf. Frommannus de Hæmorrhoid. Part. Priori Probl. 48. p. 205.* qui posterior author in *Part. Poster. Probl. 41. p. 450.* etiam quæstionem affert & movet: *an in guttur dolentibus faciemque rubram habentibus hæmorrhoides promovenda: quam ob rem Paulus Sorbait Med. Pract. Tr. 1. c. 68. dicit: conveniunt Hæmorrhoides, (videl. in gutta rosacea) ob revulsio- nem, quæ fit eo quod ejusmodi mala sæpissime a sanguine hæmorrhoidali proveniant, qui postmodum diutissime stagnavit & acris redditus fuit, ad communia emunctoria, amygdalas scil. vel faciem, quæ ob laxitatem eum facile recipiunt, rejicitur, in quibus pblogosin & inflammationem excirat, & cap. 54. dicit: gutta rosacea etiam a sanguinis hæmorrhoidalis præassati magna copia provenit; hinc certa edocti sumus experientia hæmorrhoidum apertionem præsentissimum guttæ rosacæ remedium esse: quam veritatem & observationem Frommannus l. c. exemplo quodam confirmat: quam ob rem etiam Hæmorrhoidum apertio in crustosa facie a Raymundo a Fortis Cent. 1. consult. 96. commendatur: sicut Bened. Sylvaticus Cent. 2. conf. 26. ubi de tuberculo nasi tractat, ex chirurgicis subsidiis commendat, sufficientem sanguinis subtractionem etiam ex Hæmorrhoidibus (de quibus dicit) ex quibus forsitan hætenus sanguis eductus fuit: Similiter Gabelhoverus Cent. 3. cur. 22. Scabiem malignam ex Hæmorrhoidibus cessantibus recenset: in A. N. C. Dec. 2. an. 6. obs. 97. commemoratur Hernia varicosa fluxu hæmorrhoidali sublata: notatu dignus etiam casus allegatur in A. N. C. Vol.*

C. Vol. 1. caf. 203. ubi ex motu sanguinis *hæmorrhoidali* men-
 strua *congestio* sub osse *Zygomatiko* finiftri lateris cum *tu-
 berculò* & aliquot *sanguinis* ac puris guttularum emanatio-
 ne contigit: *quamdiu* hic ftatus perfeveravit, patiens ille a
prifino morbo & *Hæmorrhoidum* fluxu, quo *antea* labora-
 verat, *immunis* fuit; pofteaquam vero *gingivarum* ulcus
 in eodem fubjefto *confolidatum* fuit, *Hæmorrhoides*, *prifina*
 veftigia relegerunt & *fluxum* fuum continuarunt: qua-
 lia teftimonia abunde comprobant, quomodo *motus hæ-
 morrhoidales* non modo in *varias* evagentur *regiones*, fed
 & varios *affectus* ex parte *peripheriam* corporis *defedantes*,
 ex parte *corruptiones*, *protuberantias* & *concretiones* præ-
 ternaturales inferentes, provocent; quibus concrecioni-
 bus *intrinsecus* obtingentibus, annumeramus *Polypos*, qui
 interdum a fimili *Hæmorrhoidum ataxia* originem trahunt;
 de qua pofteriori obfervatione *conf. difp. D. D. Præfidis de
 Polypto Cordis.*

§. II.

Generalis hæc obfervatio, qua confirmavimus, quod
 motus *hæmorrhoidales turbati* ad diverfas *curaneas efflore-
 fcencias* & *excrefcencias* aliquando caufam fubminiftrant,
 ducit nos ad *specialem* ac notatu dignum cafum, quo cum
 hanc obfervationem roboramus: fuit Vir, de quo nobis
 in præfentiarum fermo eft, officio *Ecclefiaftico* addictus,
 annorum 58, temperamenti *cholericò-fanguinei*, bonæ
 conftitutionis & *vegetæ* ac *robultæ* naturæ, *obefi* & *turgi-
 de plethorici* corporis, appetitu integro *instructus*, diæta
 plena & *alimentofa* fruens, vino etiam *Hungarico* ex com-
 moditate provinciæ, frequentius utens, cæteroquin et-
 iam hæctenus firma & bona fanitate præditus: hic ante pau-

B

cos

cōs annos cōnatus *hæmorrhoidales*, attamen occlusos & indolentes experiebatur, qui ab Empirico pro defluxione renali aut nephritica dijudicati & cum fomento, ex radicibus aciarum parato, tractati fuerant; inde quidem contigit, ut tubercula hæmorrhoidalia disrupta fuerint, unde notabilis sanguinis quantitas emanavit; posteaquam vero hic fluxus substitit, consecuti sunt post aliquam temporis moram intensissimi dolores nephritici; qui post aliqualem remissionem & cessationem nunc translationem & congestionem largam & contumacem sanguinis intra pectus cum magna hujus oppressione & angustatione, tandem etiam supervenientem sufficientem hæmorrhagiam narium, hanc angustiam resolventem & cōnexam ulteriorem congestionem intra caput, præcipue in faciem pedissequam habuerunt, adeo ut patiens nos ter ominaretur, naturam hoc conatu alia nunc hæmorrhagica loca seligere & intrare, e quibus per narium ulteriorem Hæmorrhagiam copiosum & molestum sanguinem exonerare & deplere queat: ast nunc ejusmodi translationes in tubercula faciei numerosa sanguinolenta abiire, quæ copiosa puris & sanguinis excretionē se ventilarunt: aliquando contigit, ut distincta macula rubicunda in sinistro narium latere effluerit, quæ ob deformitatem non modo in loco, quem semel occupavit, persistit, sed & successively altius protuberavit, ad quam aufferendam varia spirituosa adhibita fuerant, licet cæteroquin illa, ut alias fieri solet, iterata & fori compressione tractata imo offensa fuerint; sine mora vero hæc protuberantia in tantam molem accrevit, ut addita *Figura* monstrat, quæ firmiter pinnis narium adhæsit, dextram narium aperturam penitus occlusit, in sinistro vero orificio exiguum foramen re-

refle-

residuum mansit, e quo pauca mucinarium copia emanavit, & aëris attractio, ut ut difficulter, administrabatur & continuabatur: hoc concrementum erat ita grande, ut os totum & ex parte mentum obtegerit & occultaverit, unde respiratio aut aëris exceptio per os tanto magis impedita fuit, quemadmodum sub cibi & potus assumptione multæ molestiæ & incommoda intervenerant, dum semper illud concrementum aut manu ministrante, aut situ apto & inclinatione capitis removeri debuit: substantia hujus excrecentiæ erat carnofo-vasculosa, vasa sanguifera in eadem & venosa & arteriosa aderant; extrinsecus hæc excrecentia rubicunda comparuit & numerosis tuberculis verrucosis instructa fuit: in medullio hujus concrementi latitavit purulenta quædam substantia, quæ jam in saniam inclinaverat, ita, ut sub diuturniori illius materiæ occlusionem facile carcinomatosa, aut perfecte canerosa ulceratio extimescenda fuisset: interea in subjecto afflicto functiones vitales animales & naturales aliquo modo continuaverant, nisi insolita alvi obstructio translationes sanguinis intra caput & in superiores regiones confirmaret & sustentaret, insuperque hujus concrementi augmentum fulciret, donec tandem patiens consilium iniverit & capessiverit, ut perita sectione hoc concrementum, quod per tres annos subsistit & in accremento perpetuo continuavit, separaretur; quam separationem ego Respondens prospero successu divina bonitate assistente, ita præstiti, ut posthac non amplius regenerationem subierit; sub separatione non pauca sanguinis quantitas & ultra unam libram effluxit, præcipue vero e minori arterioso ramulo impetuoso saliente consueto motu emanavit; quæ Hæmorrhagia vero facile temperatis & securis

adstringentibus cohibita & tandem reliqua, sectione violata, narium substantia, defensivis & balsamicis vulnerariis remediis sine ulla cunctatione & difficultate, consolidata fuit: attamen post hanc curationem, nondum hæmorrhoidalis fluxus recursum servavit, quamvis efflorescentiæ sanguinæ in facie & gutta rosacea adhuc pererent: interea nunc patiens prædictus splenetico affectu corripitur, qui per intervalla eximias angustias præcordiales in consensum ducit, cum restrictione sanguinis ab extremitatibus in interiora & aliquali impallenscentia faciei transitoria, nec non cum memoriæ imbecillitate, licet cæterum nihil aliud morbidum subiectum nostrum detineat: interea diæta, ante notata, continuatur; ubi continuati usus vini Hungarici in & sub tali statu memori mente ratio habenda & tenenda est: & hæc est succincta historica hujus casus delineatio, quem casum patiens constanti declaratione & iudicio a negotio hæmorrhoidali derivat.

§. III.

Posteaquam hunc affectum quoad signa *antecedentia*, *concomitantia* & *consequentia* descripsimus, brevibus nunc illius *causas*, harumque *nexum* perlustrabimus: in præsentit itaque *subjecto attentam* utique considerationem meretur, corpus robustum & valde *obesum* atque *succulentum*, temperamentum valde *calidum*, constitutum corporis admodum *plerhorica* & *diæta plena*, bona, alimentosa atque *spirituosa*; sub quibus causis & circumstantiis, non modo *superfluus* genitus, sed *quotidiana* commotione atque *organico* impulsu molestior & onerosior redditus fuit sanguis, ut illius *excretio* motibus *hæmorrhoidalibus*, qui alioquin *hanc ætatem* facilius corripunt & per vini *Hungarici* crebri-

briorem usum citius invitantur, nunc urgeatur; siquidem in prædicto subjecto illi motus satis *fortes* in- & progressus fecerunt, qui vero partim per ipsam *nimiam* sanguinis copiam, qua vasa *valde* turgescata & *liberior* sanguinis progressus *per illa* impeditus, aut *affluxus* ad loca *hæmorrhoidalia* *difficilis* redditur, partim per diætam *spirituosam* nimium *impulsus*, adeoque *prompto* suo successu hæmorrhoidali aut facili *perruptione* & fluxione privatus fuit, unde *cæci* tales conatus aliquandiu affligerant illud subjectum, qui quoniam *ægrius* ad *perruptionem* pervenerant & eo tandem cum experimento *minus congruo* & *securo*, sed medio *adstringente æquivoco*, imo *accidentali* effectu pertigit, quo *haud* facile sub *ejusmodi* circumstantiis pervenisset, ni in hoc subjecto sanguis *subtilior* extitisset, hinc contigit, ut sub *arduo* illo conatu eluctatorio *totus* processus hæmorrhoidalis valde *alteratus* fuerit & post primam irregularem perruptionem imposterum tenacius *subsisterit*, *proxime* vero motus illi congestorii & *eluctatorii* in *renes* transierint, quemadmodum alias *Hæmorrhoides* imprimis *externæ* & *cæcæ*, cum *calculo* & *podagra* peculiarem *affinitatem* servare solent, id quod *D. D. Præses* fufius & solidius in *tract. de Hæmorrhoidibus* demonstravit: ob id noster patiens acerbissimis *nephriticis* cruciatibus correptus & vexatus fuit; & dum non modo hic *vicarius* motus hæmorrhoidalis sine *spontanea sanguinis*, imprimis *sufficiens*, evacuatione, adeoque incassum hæctenus transit, dum interdum *Hæmorrhoides* tales *impeditæ*, *mistu cruento* se ventilare solent, id quod *D. D. Præses* in *disp. de Mitsu Cruento* explicavit, insuper etiam in nostro subjecto post *V. Snem*, in pede institutam, cruciatus illi nephritici

remiserunt & Urina instar feri lactis cum *cruentis* striis referta excreta est, ita motus in *præsenti* casu hæmorrhoidales, *pectus* molestis & perquam angentibus *congestionibus* occuparunt, adeoque *superiores* regiones invaserunt; ex qua pectoris regione *in caput* abiere & *enaribus exitum* inquisiverunt, ita, ut larga *Hæmorrhagia* inde secuta fuerit, quæ *pectori* hactenus *afflicto* multum *levamen* attulit: qua via obtenta, *prægressa* pathemata *remiserunt*: interim *sacillæ* *congestionibus*, obtenta *semel* hac via atque *vicario* actu, quo *urgens* & *turgens* sanguinis *copia* ventilata & *imminuta* fuit, continuaverant, *abus* vero interim cum aliquo *præjudicio* stringebatur, quoniam tunc temporis motus humorum *majori vi* *superiores* regiones petebat; inde vero insuper contigit, ut *congestio* illa *anoterica* magis *obfirmaretur* & a locis *pristinis* hæmorrhoidalibus per *inversionem* quandam, in *insolita* hæmorrhoidalis processus loca transiret; ita ut cum *Hæmorrhoidibus* *simile* quid eveniat, quale quid cum *Mensibus* exorbitantibus & in *insolitas* vias abeuntibus interdum accidere solet; testimonio *Mensium* & *Hæmorrhoidum enaribus* erumpentium, quam ultimam observationem *D. D. Præses* in tract. de *Hæmorrh. disp. de insolis* *Hæmorrhoidum viis*, latius commendavit & confirmavit: interea etiam accidit, ut motus illi *hæmorrhagici* si-
ve *directi*, *ordinati* & *regulares*, si-ve *vicarii*, *irregulares* & *insoliti* fuerint, non semper ad *actualement* perruptionem contendant & perveniant, sed in nudo *conatu* excretorio, si-ve *congestione* & sanguinis effusione copiosiori in *certas* regiones, unde aliquando *perfecta* illæ excretiones procedunt, subsistant; hinc alia & *velut* nova, ac cum *pristino* schemate, ut videntur, *nihil* commercii ac *communione*
ha-

habentia specimina affectuum morbosorum originem trahunt, quæ tamen sub prudenti & attenta penſitatione & dijudicatione, *eximiam* atque *artam conſenſionem* tenent & tuentur.

§. IV.

Hic actus, quo evacuationes *sanguinis e consuetis* & semel aut aliquoties servatis locis in *insolita* & *vicaria* transferuntur, neque a *materiali* sanguinis qualitate, neque *reliqui* corporis dispositione, sed *salutari natura* directorio provenit, quo natura *molestum* & *superfluum* sanguinem, qui œconomix vitali valde *præjudiciosus* est, ad *imminutionem* quandam prosequitur, unde effectus & *consecutio salubris*, qualis ab ejusmodi *depletionem* sanguinis provenit, de prima illius *destinatione* & reliqua *formali* ratione testimonium perhibere debet, quemadmodum in præſenti casu non modo ab *Hæmorrhoidum* fluxu aliquale *levamen* obtentum fuit, sed & illius *emanſionem nephritici* & *peſtus* angustatorii affectus exceperunt, qui tamen a *vicaria* hæmorrhoidali excretionem *per nares* valde *sublevati* & immutati fuerant: quoniam in tali *temperamento* & sub ejusmodi *Dietæ* sanguis ulterius *accumulatus* & *orgastica* commotione denuo *molestus* redditus fuit, ita præſtina molimina *hæmorrhagica antiqua* relegerunt vestigia; hinc *congestiones* frequentius caput, imprimis *confinia* narium, imo ipsas *nares* occuparunt; quoniam vero *hujus* actus hæmorrhagici, *per nares* perficiendi, *minus adſueta* fuit natura, ipſe etiam frequentior *orgasmus* sanguinis, *per vini* potum concitatus, *æqualem*, directam & *proximius* in vias *congruas* destinataut dirigendam *congestionem* impedivit, *facies* vero subjecti alias *carnosa*, succulenta & ad *largius* affumendum

dum hunc sanguinem, *orgastico* motu impulsum, *plus apta* fuit, ita loco *iteratarum* narium Hæmorrhagiarum *intracutem* faciei sanguineæ congestiones abierunt, quæ illico ob nimiam *impletionem*, etiam numerosam & sparsim factam *stagnationem* sanguinis generaverant, quæ posthac aliquali *sanguinis & puris* excretionem se *exoneraverat*; quippe qui *posterior* processus iterum in *subsidiis* restitutum narium Hæmorrhagiarum *vicario* novo modo institutus fuit, dum *sanguis*, si non ex *uno* loco, velut *naribus*, tamen ex *pluribus* tuberculis, si non *multa*, tamen *aliquali*, copia, si non *unico*, tamen *reperito*, actu ejicitur, adeoque iterum *aliquali* ratione & modulo natura hunc scopum *imminuendi* sanguinem assequitur: Sicut alias exempla *insolitarum* talium sanguinis evacuationum, ex ejusmodi *cutaneis* protuberantiis constant *conf. Smerius miscell. p. 509. de sanguine ex verruca molli in morem venæ sectæ sponte saliente*. Ejusmodi *efflorescentias* cutaneas sanguinolentas alioquin *orgasmi* sanguinis admodum promovent, qui non modo *Masam* sanguinis in suis *vasis* turgefaciunt, sed & in *peripheriam* cutis *valido* motus gradu impellunt & projiciunt, qui *impetuosus* motus sub concursu reliquæ *congestionis* eo facilius tales *superficiales* stagnationes excitat; Et quoniam communiter facies de largiori *lymphæ* affluxu & comœtationem talium *concrementorum* plurimum contribuit, ita in præsentis casu contigit, ut *tuberculum* tale sanguinolentum, tam per *spirituosa* media, quam per *aliam immoderatam* tractationem irritatum, *ulteriori* sanguinis & lymphæ *affluxu* sustentatum & ad *majus* tale *concrementum* promotum fuerit, in quo, velut in *novo receptaculo* aliqua *sanguinis* copia

copia aservata, & in ejusdem majorem *amplificationem* & accretionem applicata fuit; in quo processu idem contigit, quod in moralibus sæpe accidere solet, ubi ab uno devio in plura consequentia datur progressus: quale quid in præsentī casu obtigit, dum exorbitatio e locis *hæmorrhoidalibus* in *renes*, ex hisce in *pectus*, inde in *caput & nares*, porro in *faciem*, ex *actualibus* sanguinis profusionibus, in *stagnationes* sanguinis, ex hisce in *concrementa* sanguinea successit; quæ *variantes* operationes ex palmario illo fonte processus *hæmorrhoidalis* proveniunt, velut hætenus in *historica & causali* explicatione ad sensum demonstravimus: *Parallelus* casus ante quindecim annos *Dn. D. Prasidi* oblatus fuit; ubi in Silesia Parochus quidam 30 annorum Sanguineo-Melancholicus ob frequentiore usum vini Hungarici Hæmorrhoidarius reditus, qui vero incongrua Diæta hoc hæmorrhoidale negotium turbavit, abhinc narium Hæmorrhagias, quæ in pueritia ipsi familiares fuerant, repetitas expertus fuit, quas vero utpote in officio suo molestas & haud tolerandas æstimavit & cohibuit: inde tuberculum sanguinolentum in extrema narium superficie obtinuit, quod frequenti compressione adeo irritatum fuit, ut in majus concretum transierit: id ipsum vero dum V. Snes repetitæ in pede institutæ, Hæmorrhoides denuo revocatæ & in ordinem deductæ, eidem concremento hirudines adhibiti & tandem desiccativa remedia extrinsecus, nec non revulsoria alia adminicula applicata fuere, iterum successively evanuit, licet jam in satis magna mole extiterit: recensetur etiam memorabilis casus in *A. N. C. dec. 2. an. 8. obs. 226. de hypersarcofi in facie & naso, ex narium hæmorrhagia suppressa.* Quales observationes itaque tituli no-

C

ftri

stri veritatem & firmitatem satis superque tuentur & offerunt.

§. V.

Haud tamen penitus sicco pede præterimus *dyserasiam* quandam, quæ absque dubio in præsentî subjecto in *humorum* massa præsto fuit, ad quam ratio *Temperamenti* & *Diætæ* contribuit, qualis *abusiva* quadam denominatione vulgo quidem denotatur, & *scorbuticæ* intemperiei esse existimatur, quemadmodum *plebejo* ferme more indiscriminatim sæpe quælibet & *efflorescentia* & defædationes *curanca* scorbutico inquinamento imputantur: quamvis quidem haud proprie *scorbutica* infectio in nostro patiente præsens fuerit, attamen *communis acris salsa sulphurea* intemperies facile agnosci & demonstrari potest; siquidem in temperamento calido & in *iracundos* affectus animi pronò, sub *diætâ spirituosâ* vinosâ, sub *anomaliis* hæmorrhoidalibus & insolita *alvi obstructione* facile impuritates *acres* salis, *biliosæ copiosus* generantur, *diurius* asservantur, *insufficientius* per *colatoria* abdominis organa a massa sanguinis & alibi separantur, proinde coacervantur, & largius in *humores* deferuntur, qui, ab iisdem plus inquinantur, & in temperie sua alterantur: interea hæc *vitiosa* Massæ sanguinæ qualitas, haud *principalem* affectus causam constituit, sed tantum accidentia & *symptomata* præsentia *exacerbat*, aut *nova* convocat; quemadmodum *sanguis* & *lympha* talis in stagnationem & stasim conversa fibrillas *nerveas* stimulat, *ardorem* & *pruritum* auget, affluxum & *congestionem* in loca, semel affecta, ulterius allicit & excitat, imò tandem superficialibus *ulcerulis* exorientibus ansam præbet; siquidem præter *talia* symptomata, quæ in nostro ægro obvia fuerant, etiam in
medi-

meditullio prædicti concrementi nunc initia alicujus *corruptionis* invaserant, quæ facile sub levi mora in *carcinoma*, aut actualem *cancrem* degenerare potuerant: sicut itaque in *reliqua* facie hæc *acris* sanguinis intemperies ad *constantes & pertinaces* congestiones contribuit, ita *idem* præstitit in semel genito hoc *concremento*, quod *accrementa* sua ex parte a tali *vitiosa* sanguineæ massæ crasi obtinuit. Proinde consequens *Hæmorrhoidum retentio*, motus hæmorrhoidalis *evagatio* in vias urinarias, diureseos sub *nephriticis* cruciatibus *immutatio*, alvi insolita *obstructio*, non modo *ulteriore* processus hæmorrhoidalis *declinationem*, sed & *regularis* motus sanguinis progressivi *alterationem*, nec non *eluctatorii* motus sanguinis in *superiores* regiones *translationem*, subinde *massæ* sanguineæ continuantem *inquinacionem*, reliquarum evacuationum *ordinariarum* præjudiciosam *perturbationem*, adæoque totius *æconomia* vitalis singularem *inversionem*, confirmant: unde mirum esse haud potest, cur sub tali *multipli* alteratione motus illi *exorbitantes* hæmorrhoidales tanta *pertinacia & præcipitancia* continuaverint, imo in ipso capite sub *diverso* Schemate tam *moliminum* excretoriorum, quam *consectariorum* morbosorum, velut *stagnationum & tuberculorum* superficialium, sese exfererint: quemadmodum huic *delicato* processui hæmorrhoidali, æque ac *Mensium* negotio, familiare est, ut facile *exorbitantes* motus & *insolita* viæ, ad ejusmodi sanguinis excretionem spectantes, innotescant: si itaque juxta observationem medicam *insolitæ* Hæmorrhoidum viæ, insolitæque *excretiones* conceduntur, & negari haud possunt, ita etiam insolita *molimina* & insolita connexa *consectaria*, insolita *producta*, insolitique *effectus & eventus* concedi debent:

debent: imo aliàs *Hæmorrhoidalibus* motibus, impeditius aut *turbulentius* procedentibus familiare est, ut in *excreſcentias* aut *protuberantias* secundum *Galenī* denominationem, modo *verrucales*, modo *morales*, *uiales* & *vesicales*, in *mariscas*, *ſicus*, *thymos*, *condylomata*, abeant, præcipue in locis *vasculoſo-membranoſis*, & paulo largiori *lymphæ* affluxui ſubjectis; qualia ſunt aut *hæmorrhoidalìa*, aut etiam in *facie* obvia: ſicut paſſim authores talium *excreſcentiarum* hæmorrhoidalium mentionem faciunt. *conf. Fabr. ab Aquap. in operat. chirurg.* ubi de *Hæmorrhoid.* tractat, *Rhodiſ Cent. 2. obſ. 94.* neque etiam *aliæ* ſingulares *viæ* aliique modi evacuandi ſanguinem in hiſtoria medica incogniti ſunt, ſicut in noſtro caſu partim e *tuberculis* faciei contigit, partim ubi ſanguis in hoc *concrementum*, velut in peculiare *recepraculum* collectum eoque tranſlatum fuit: *conf. Weſperus in exerciz. de Apoplexia p. 230.* ubi de *macula atro ruſcente*, ſingulis annis *ter quater* & *ſanguine cum ſalru ſua ſponte rumpente*, obſervationem profert: huc ſpectat obſervatio *Smerii* ſuperius allegata.

§. VI.

Ex hæcenus dictis nunc facile inclareſcit, quod præſens *concrementum* ſub peculiari *naturæ directorio* ſubſtiterit; & licet ad illius *ortum* ſtagnatio *lymphæ* & *ſanguinis* in naribus *anſam* præbuerit, tamen reliqua ejuſdem *textura* carnoſo-vaſculoſa reſtatur, quod ſub ſingulari etiam *modificatiōe naturæ*, poteſtate & diſpoſitione extiterit, quando *ſuperſuus* & *moleſtus* ſanguis, nunc *reventus* & *facili* ac legitima depletione & *excretionē* deſtitutus, eo *impenditur*, ne intrinſecus in *mobilioribus* & *ſenſibilioribus* partibus moleſtias ſuas creet: ad hoc itaque inſolitum & *vicarium* naturæ inſtitutum hæcenus *congeſtiones* humorum

rum

rum abierunt, quem *affluxum* etiam partim adhibita *spirituosa* remedia, partim crebriores concrementi *contretationes*, partim *sollicitudo* anxia de tali deformante concremento animum affligens & detinens, adjuvarunt, & confirmarunt: de qua *posteriori*, videlicet *sollicito* & *anxia* agitatione & cura tenendum, quod eadem *in genere* ad certos effectus alliciendos & *accelerandos* multum conferat, sicut alioquin *vis imaginationis* in acquirendis, promovendis & removendis talibus concrementis satis *efficax* & operosa est: quamobrem tales excrescentiæ *iudiciose* & *circumspecte* tractandæ, quoniam sub *sensibili* directorio & *protectorio* comprehensæ sunt, ut facile *immoderatus*, contumax & impetuofus *affluxus* humorum eo ruat, & periculofam *inflammationem*, aut perniciosam *corruptionem* cancrofo-sphacelofam causetur, quæ tanto facilius irruit, quo magis reliqua *massa sanguinea* dyscrasia quadam suspecta *inquinata* est: quando etiam ex *diæta* & *morum* regimine illæ causæ, quæ *præcipue* ad tale concrementum contribuerunt, *ulteriori* progressu *commoventur*, & velut novo *supplemento* excitentur, tunc *effectus*, qui iisdem causis nititur constanter *augescit* & *increbescit*, id quod in præfenti casu cum diæta *plena* & *spirituosa* contigit, sub cuius continuatione, hoc malum *constantes* progressus & alacria *incrementa* fecit: Interea tamen in tali *evagatione* natura humana haud *omnimode defendenda*, sed in *erroneo* hoc concremento *culpanda* est; id quod posthac variis arduis *incommodis* anam dedit, dum non modo *ulteriori ordinis* vitalis *turbationi*, legitimarum excretionum *perversioni*, motuum in vias *insolitas* evagationi & *degenerationi* stimulus fuit, sed etiam præter *monstrosam* deformationem, *respirationis* liberum *successum*

sum, & purificationem capitis per naves valde impedit, adeoque ulterioribus aliis *connexis morboſis* pathematibus occasionem ſubmiſtravit: neque hæc contingentia tantum in *admirationem* duci merentur, ſiquidem anima hominis in *moralibus* aberrationibus ſæpe ex uno errore in *plures* alios *connexos* delabitur, qui interdum *pernicioſum eventum* nanciſcuntur: quare eadem anima tam in *moralibus*, quam *vitalibus* exorbitantiſ *correctione* & *manuductione* indiget, quo iterum in juſtam & ſalubrem viam revertatur, neve in errore *perſeверet*; propterea tamen *erroneæ* actiones non *irracionales*, aut *ſine* quodam *abſolute* deſtitutæ ſunt, ſicut in hoc præſenti caſu *concrementum* quæſtionis *vicario* quodam modo cum *hæmorrhoidali* proceſſu cohæret: Quo *diutius* porro motus *excretorii* a *ſolitis* & congruis viis *deſectunt* & *evagantur*, eo *difficilius* prægreſſæ *ſalutares* excretiones in *ordinem* duci poſſunt; in qua qualitate iterum *convenientia* motuum *moralium* & *vitalium* inclareſcit; dum diutius continuati *mali* mores *ægrius* & *tardius* corrigi poſſunt: ex qua circumſtantia iterum *rationali* & ſolido argumento atque fundamento demonſtramus & confirmamus, quod in hujus *concrementi formatione* & continuatione operoſa & *moderatrix* fuerit *natura* humana.

§. VII.

Paucis adhuc placet *Practica* directionis ejuſmodi concrementi reminifci: quamobrem *ſuborientibus* talibus excreeſcentiſ præternaturalibus longiori *cunctatione* indulgere *haud* convenit, ſed antequam *firmiores* & *crasſiores* radices illæ capeſſant, iſdem *congruo* modo reſiſtendum eſt; cavendum tamen erit, ne *ſubito* & repente *repellantur*, reprimantur & exſiccantur, quando aut in *genere*

nere corpus nondum præparatum, aut causa illarum principalis nondum rite tractata fuit: porro vitanda sunt crassa, potentia, minusve correctæ corrosiva, neque etiam actualia cauteria promiscue adhibita, profunt, præcipue si concrementa mole sua admodum accreverunt, ubi magna, ampla & valde profunda cauterificatio, facile periculosas congestiones & inflammationes caufatur, superficialia vero, ut insufficiens haud facile reliqui concrementi mortificationem & exsiccationem infert: suspecta mercurialia ejusmodi casui & affectui haud adæquata sunt, neque etiam spirituoſa, ardorem in cute inferentia conducunt, quæ præsentem humorum affluxum magis exacerbant: unguinosa, pingua, poros valde obstruentia ejusmodi concrementa vix perferunt, sed eo disponunt, ut citius in majorem molem accrescant, specialem & in loco affecto maxime præjudiciosam dyscrasiam consilient, intumescantiam & humorum affluxum magis augeant: neque exsiccantia, si corpus antea non rite præparatum fuit, fugitiva applicatione conducunt: Quare in positiva cura præsentis casui proficua fuit repetita mitior laxatio, partim ad subtrahendas primarum viarum impuritates, partim ad avocandos motus congestorios a capite, partim ad conciliandum ordinem, cum excretionem alvina observandum, qui aliquandiu turbatus & impeditus fuit: pro hac laxatione administranda, conveniunt rhabarbarina, mannata & correctæ aloëtica: quæ posteriora cum præparatis & emendatis helleborinis, devios & desectentes motus hæmorrhoidales iterum invitare adjuvant: deinde conducunt interne motus hæmorrhoidales, extra viam solitam & regularem procedentes, mitigantia, lenientia & si necessitas postulaverit, securius sedantia: & pro hac indicatione administranda illa consilia & auxilia conducunt, qua passim alibi in dispp. de Ha:

Hæmorrhoidum anomalis, de Hæmorrhoidum insolitis viis, de Hæmorrhoidum suppressionibus a Dn. D. Præside commendata profant: Ad ipsum tale concrementum auferendum conducit tempestiva motuum hæmorrhoidalium invitatio & revocatio in loca hæmorrhoidalia, matura excrementiarum talium inchoantium discussio, quæ tamen per concentrata spirituosæ & oleosæ, neque etiam per conjuncta nimium lenientia & relaxantia perfici haud debet; unde emplastra de ammoniac, santalin, cum mastich, camphor, minio mixta non nisi per intervalla apponenda sunt, quibus aliquando parca quantitate sulphur & sal ammoniac, commiscere licet; in ambitu conveniunt defensiva mitiora exsiccantia, & discutientia: Si concrementum tale majus fuerit, tunc minus facile sympathetica quædam cura, ac in minori excrementia, exoptatam opem promittit: alias cura per peritam separationem & sectionem, qualis in præsentî casu adhibita fuit, sub dextra directione citius procedit: sub quali operatione commendamus, ut prævia V. Sæne in pede, sanguinis effluxio e loco effecto sufficiens concedatur, neque cito compescatur; id quod tanto magis in ejusmodi subjectis observandum est, quæ cum præsentî, ratione prædictarum circumstantiarum, conveniunt: sub cura interne mitiora laxantia, temperantia, & reliquas ordinarias excretiones allevantia conducunt; externe defensiva & temperata balsamica consolidationem incisæ partis promovent: quando pariter in certis subjectis insensa dyscrasia humorum præsto est, quæ reliquam curam impedire videtur, tunc pro illa corrigenda convenientia remedia præstunt, quæ vero specialiori studio hoc loco, ubi brevitati studemus & principaliori scopo satisfacere cogitamus, allegare haud lubet: suffecerit hætenus titulo nostro quoad fundamentalem disquisitionem satisfecisse: quamobrem in succincta hac præsentis casus explicatione substitimus: reliquas speciales connexiones & applicationes in & ex hoc casu instituendas & formandas, quibus volupe est, & exercitatis ingenii relinquimus: DEO devotissimas tribuimus grates, quod in hoc labore benedictione sua nobis annuere, eundemque ad hanc metam promovere voluerit; quem humillimis imploramus precibus, quo hanc tractationem in reliquo usu medico salubrem esse efficiat, eandemque cœlesti suo auxilio ita adjuvet, quo exoptatus semper illam coronet

F I N I S.

Halle, Diss., 1729 (A-G)

ULB Halle

002 417 944

3



Sb.







78. 1729 62 38.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
**EXCRESCENTIA
NASI**
CUM HÆMORRHOIDUM ANO-
MALIIS CONNEXA,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſe Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R Æ S I D E
DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD.
NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.
DN. DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni bonoris cultu prosequendo,
PRO LICENTIA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
HORIS LOCOQUE CONSUETIS
ANNO MDCCXXIX. D AUGUST.
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI
SUBJICIET
RESPONDENS
JOHANNES CONRADUS SCHIERWASSER,
MAGDEBURGICUS.

HALÆ MAGDEB. TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.